



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Praxis Secunda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

PRAXIS SECUNDA.

Varietas sæpè magis in devotionis exercitiis attentum reddit. Hinc, sicut S. P. N. varios meditando modos instituit hunc in finem, v. g. ut quis per quinque sensus meditationem instituat, ita & examen conscientiae institui potest. Itaque

Per visum intuere oculis mentis tuæ beneficia tibi collata, & gratias age, pete simul, ut ingratitude tuam tibi clarè DEUS ponat ante oculos.

Per auditum audi, quid conscientia tua tibi exclamet & exprobet ratione defectuum aut peccatorum die hoc commissorum.

Per gustum, ruminando motiva Act- & Contritionis, gusta & proba, quàm amarum sit, dereliquisse Dominum DEUM tuum, & quale *fel draconum, & venenum aspidum insanabile* Deut. 32. tibi debeatur pro peccatis tuis; & postquam quoque odoratus es, quàm foeteant peccata tua coram DEO & Angelis ejus.

Per odoratum quoque substitue thymiana odoris boni, cor scilicet hominis verè pœnitentis, qui perpetrata plangit, & millies mori præeligit, quàm plangenda deinceps perpetrare.

Per tactum offer DEO satisfactionem pro peccatis tuis, percutiendo pectus cum Publicano, & opus pœnosum aliquod, antequam ad lectum te componas, offerendo. Dum hoc postmodum facis; dic cum Davide: *In flagella paratus sum,*

sum,

sum, & dolor meus in conspectu meo semper; quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Psal. 35. Exigua, imò nulla, opus hoc pœnosum, est satisfactio pro peccatis meis; sed *cor contritum & humiliatum, DEUS, non despiciet.* Hunc in finem id in unione meritum Christi, & Sanctorum omnium Divinae Justitiæ dedico, simul contestans, quòd ad carnem meam crucifigendam & domandam, indigeam tuâ gratiâ, & ad eam magis mihi conciliandam nunquam (in signum perpetuum diffidentiae meî ipsius) velim ea, quæ in Novitiatu addidici, pœnitentiæ opera intermittere.

§. XII.

VESPERTINA DEVOTIO.

DUm post visitatum chorum paulatim te ad quietem disponis, fors ex pondere & æstu diei portato lassus cogitare potes, verum esse illud cujusdam Ascetæ, quòd scilicet quatuor ætates hominis quilibet dies repræsentet. Dum manè surgis, & cum somno adhuc conflictaris, infantiam ac pueritiam quasi refers; ex post vegerior nonnihil factus, adolescentiam & juventutem; circa meridiem, virilem ætatem; circa vesperum, senilem. Dum somnus paulatim obrepit, & ligabit sensus, usumque rationis suspendet, mortem tibi ob oculos pone, & in lecto tumbam mortualem contemplare; sic in dies nascimur, & morimur.

Dum